

squamas externas ovato-oblongo-lanceolatas, acutas, floris tubum pilosum, achænia'. . . . ., pappum pluriserialem. Icon plantæ horti Milfordiensis caulem foliatum, dodrantalem refert, dimidia parte inferiore 4 lin. diametro metientem, et foliorum delapsorum cicatricibus munitum, superne foliatum et quidem tam conferte, ut longitudine 4 1/2 poll. 13-14 folia observentur. Folia 3-4 1/2 poll. longa, 2/3-1 poll. lata, pinnatifida, sessilia, semiamplexicaulia, non vero cordata. Medium tenere videtur *Sonchum Jacquini* inter et *S. congestum*, priori affinis ob folia et caulem foliatum, posteriori ob folia non cordata, pedicellos robustos, involucri squamas externas magis elongatas. Cl. Link a *Soncho fruticoso* (*S. squarroso* DC.) valde diversum dicit et *S. radicato* magis affinem esse quam *S. gummiifero* asserit l. c.

Var. I. Caule abbreviato 2-pollicari = *S. abbreviatus* Link.

Var. II. Caule elongato, gracili = *S. polyodon* Webb! in Litt.

#### EXPLICATIO TAB. 134.

1. Planta magnitudine naturali ex specimine herbarii reg. Berol.
2. Flos auctus.
3. Achænium cum pappo, auctum.

#### 4. SONCHUS CONGESTUS. WILLD.

*S.* caule annotino pl. sesquipedali, rariùs palmari, subfoliato, umbellato; foliis rameis paucis parvis amplexicaulibus cum infimis pubescenti-glaucis, pinnatifidis, margine spinuloso-ciliatis; umbellæ ramis robustis 1-2-cephalis; involucri squamis exterioribus oblongo-lanceolatis, acutis; achæniis obovatis, dilutè brunneis, granulato-rugosis.

*Sonchus congestus*. Willd., *Mag. Naturf. ges.*, 1807, p. 136. — DC.!(ex Webb) *Cat. hort. monsp.*, 1813, p. 147.

*Sonchus altissimus*. Vahl! in *herb. Deless.*

*Sonchus acaulis*. Dum. *Cours.*, ex Steud. et DC.

*Sonchus Jacquini*. Spr., *Syst. veg.*, 3, p. 647 ex parte.

*Sonchus Jacquini* β *congestus*. DC.!(Pr., 7, p. 188 excl. syn. Linkii.

*Cerrajon Nivariensium* ex Webb!

HAB. In rupestribus circà oppidum Lagunense Teneriffæ et in ipsis oppidi muris: Webb!  
in Canariâ, Despréaux! in Palmâ, *Barranco de la Herradura* 25 Julio 1845: Bourgeau!  
Specimen unicum.

DISTR. GEOGR. Stirps canariensis, olim in horto Milfordiensi culta.

DESCR. A *Soncho Jacquini* omninò diversus. Webb, in Litt., 1842.

Sane species distinctissima, speciosissima, a *S. Jacquini* quocum cl. DC. duce Sprengelio conjunxit, diversissima. CAULIS more specierum affinium infernè fruticosus, speciminis incompleti 3-4 poll. adhuc diametro metiens, verosimiliter crassior, teres, fistulosus. Rami annotini inferne foliis numerosissimis, pl. reflexis, exceptis intimis arrectis, rosulatis muniti, 1/4-1/2 ped. longis, pl. palmari-dodrantalibus,

1-5 1/2 pl. 2-3 poll. latis, oblongo-lanceolatis, pinnatifido-pinnatipartitis, pinnis pl. n. 8-10 utrinque, 1/4-2 1/2 pl. 1 poll. longis, 1/4-1 pl. 1/2 poll. latis, oblongo-linearibus, acutis, integris v. majoribus sinuato-dentato-subpinnatifidis, apice in lobum triangularem lanceolatum, basi vero in petiolum alatum excurrentia. Folia ceterum, præcipue infra, glaucescentia, utrinque parce pilis brevibus simplicibus articulatis pubescenti-hirta, ad marginem denticulis minutis, acutiusculis, confertissimis, ita ut longitudine 1/2 poll. 20 denticuli circiter observentur exasperata, simili modo uti *S. Jacquinii* folia. Caulis (annotinus) pl. 1 1/2-2-pedalis, rarius (specimin. Canariens.) 5-pollicaris, inferne 2-5 lineas diametro metiens, teres, sulcato-striatus, foliatus, paulo purpurascens et pilis raris simplicibus articulatis adpersus, subfoliatus, apice in umbellam abiens. Specimen canariense caulem habet vix lineam unicam crassiorem, tomento fugaci, albo, et pilis simplicibus, articulatis, crispis contexto obductum. Folia ad caulem 2-3 observavi rudimentaria, transitum in involucri squamas perficientia, sessilia, amplexicaulia, 1-2 poll. longa, 2-4 lin. lata, lineari-lanceolata, acute sinuato-dentato-pinnatifida, margine denticulis confertis ciliata. Apice caulis in umbellam abit in axi foliorum nonnullorum ovato-linearium, longe acuminatorum, 1/2-2 poll. longorum, basi 1/4-1/2 poll. latorum, margine subspinulosorum, ceterum integrorum. In speciminibus majoribus 3 poll. infra umbellam quandoque in axi folii ovato-linearium-acuminati denticulati ramus oritur 3-4 pollicaris, 1-cephalus. Umbellæ radii pl. n. 4-9 vel plures, sine capitulis 1 1/2-4 pl. 2 pollicares, nudi, lana alba fugaci involuti, graciles v. robusti, pl. 1-cephali, rarius in ramum divisi solitarii. CAPITULA magna, semper erecta, innumeriflora. INVOLUCRUM campanulato-hemisphæricum, demum basi spongioso-ventricosum, præcipue inferne albo-tomentoso-lanatum, demum glabrum, imbricatum, 8-9 lin. altum, squamis adpressis, inferioribus oblongo-lanceolatis, 3-5 lin. longis, 1-1 1/2 lin. latis, acutis, obscure virentibus, herbaceis, intimis linearibus, 6-8 lin. longis, magis scariosis, 1/3-1 lin. latis, acutis, intimis acutissimis. FLORES dilute aurei, pl. 10 lin. longi; tubus, præcipue supernè, pilis articulatis munitus, ligulam 5-dentatam, infernè dorso etiam pilosam longior, 1-lin. latam; antheræ ferè 2 lin. longæ, styli ramis hirtis superatæ. RECEPTACULUM 4 1/2 lin. diametro metiens, nudum, punctatum. ACHÆNIA conformia, 5/4 lin. longa, superne 1/2 lin. lata, obovata, inferne attenuata et hinc *subpyriformia*, compressa, robusta, truncata, utrinque 2-sulcata et hinc 3-costulata, undique granulis innumeris et rugis transversalibus, modo *Picridis*, sed granulis minoribus exasperata, pallide alutacea, in viridi-brunneum vergentia. Achænia multa sunt sterilia, alutacea, glabrescentia. Pappus 4-5 lin. longus, niveus, mollissimus, facile digitis adhærens, subpersistens, setis inæqualibus, innumeris, longioribus et robustioribus denticulis parvis extrorsis munitis, longioribus et robustioribus denticulis parvis extrorsis munitis, plerisque vero subintegris, tenuissimis.

Var. I. *Abbreviata*; caule palmari 5-cephalo. Canariâ: Despréaux!

II. *Elongata*; caule 1 1/2-2-pedali, foliorum pinnis oblongo-lanceolatis acutis.

III. *Palmensis*; caule sesquipedali, foliorum pinnis ovato-oblongis obtusis; umbella 25-cephala. Nam species propria? quod ob flores et fructus deficientes in dubio hæret. Specimen enim est defloratum, folia habet innumera, subrosulata, 5 poll. longa, 3/4-1 poll. lata, pinnatifida, pinnis ovato-oblongis, obtusis, caulem sesquipedalem subnudum, umbellam 18-radiatam, radiis nonnullis iterum ramosis.